BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 243r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Sed cum facis conuiuium uoca pau
peres debiles claudos cecos et beatus
eris quia non habent unde tibi retribuere
Retribuetur enim tibi in resurrecti
one iustorum. Hec cum audisset
quidam de simul discumbentibus
~~iustorum~~ dixit illi. Beatus qui man
ducat panem in regno dei. Et ipse
dixit ei. Homo quidam fecit cenam
magnam et uocauit multos. Et
misit seruos suos hora cene dicere
inuitatis ut uenirent quia iam
parata sunt omnia. Et ceperunt
se simul omnes excusare. Primus
dixit illi. Villam emi et necesse habeo
exire et uidere illam. Rogo te habe
me excusatum. Et alter dixit. Iu
ga boum emi quinque et eo probare
illa. Rogo te habe me excusatum.
Et alius dixit. Uxorem duxi et ideo
non possum uenire. Et reuersus hec
seruus nunciauit hec domino suo
Tunc iratus pater familias dixit suo
Exi cito in plateas et uicos ciuitatis
et pauperes ac debiles cecos et clau
dos introduc huc. Et ait seruus
Domine factum est ut imperasti
et adhuc locus est. Et ait dominus
seruo. Exi in uias et sepes et compel
le intrare ut impleatur domus
mea. Dico autem uobis quia nemo
illorum uirorum qui uocati sunt
gustabit cenam meam. Ibant autem
turbe multe cum eo et conuersus
dixit ad illos. Si quis uenit ad
me et non odit patrem suum et ma
trem et uxorem et filios et fratres
et sorores. adhuc autem et animam suam
non potest meus esse discipulus
Et qui non baiulat crucem suam
cotidie et uenit post me non potest
meus esse discipulus. Quis enim ex
uobis uolens turrim edificare non
ne prius sedens computat sumptus
qui necessarii sunt. si habet ad perficiendum
ne postea quam posuerit fundamen
tum et non potuerit perficere. Omnes
qui uident incipiant illudere ei di
centes. quia hic homo cepit edifi
care et non potuit consummare aut
quis rex iturus committere bellum
aduersus alium regem. nonne se
dens prius cogitat si possit cum decem
milibus occurrere ei qui cum uiginti
milibus uenit ad se. Alioquin adhuc
illo longe agente legationem mittens
rogat ea que pacis sunt. Sic ergo
ex uobis omnis qui non renunciat
omnibus que possidet non potest meus
esse discipulus. Bonum est sal.
Si autem sal euanuerit in quo condi
etur. neque in terra neque in sterquili
nio utile est. sed foras mittetur. Qui
habet aures audiendi audiat.

XV

Erant
autem appropinquantes ei pub
licani et peccatores ut audi
rent illum. Et murmurabant
pharisei et scribe dicentes. Quia hic
peccatores recipit et manducat cum
eis. Et ait ad illos parabolam istam
dicens. Quis ex uobis homo qui
habet centum oues et si perdiderit u
nam ex illis. nonne dimittit noua
ginta nouem in deserto. et uadit
ad illam que perierat donec inue